

Eloquar an sileam? mens horret dicere verum,
Quamquam ridendo dicere nemo vetat.

Non haec proueniunt casu, non arte malorum,
Imis qui temere vertere summa velint.
Discimus ex illis, homini quid suadeat error?
Expers quid faciat relligionis homo?
Est Deus indulgens homini, non vindice poena
Perdens extemplo, quae mala prauus agit!
Est Deus indulgens, nutu qui cuncta gubernat,
Quaecunque eueniunt, ut meliora sient!
Horrida tempestas, late diffusa, labores
Agricolae sternit damnaque multa parit.
Fulmina missa polo lucent, reboante tonitru;
Fulmina dejectum quaelibet ire parant.
Nox tandem excutitur tenebris, et suavior ortus
Aurorae monstrat nunc sata laeta magis.
Nos haec spes recreet, dum sit meliora daturus,
Cujus eunt nutu fulmina missa polo.

Si sapis, o Juuenis, fugias consortia vulgi,
Notitiam nullam quod pietatis habet!
Est nostrum, coluisse Deum pietatis honore:
Primum, quod praestas, sit coluisse Deum!
Multa auditurus, temere ne crede loquenti:
Dulce loquens infert saepe venena tibi.
Accipe, quae fidus suadet meliora magister,
Dictaque doctrinae pectore conde tuo!

Annua Natalis lucis rediere, Sodales,
Tempora concentu concelebranda pio.
Terra negat flores; da debita vota Magistro,
Quisquis ades; sanctis da pia thura focus!
Transige felicem CARA cum CONIUGE vitam:
Hae sunt, quas ferimus, DOCTOR AMANDE, preces!
Turpius ingrato toto nil nascitur orbe:
Quis non agnoscat tot benefacta TUA?